

B. N. II, 118.

X 1830329

H. 27, 10^a 2^b.

An & quatenus

II R
5196

TRANSITUS

pro exercitu

per territorium alterius postulari
& denegari possit.

Von
Angemasten und verweigerten
Durchzügen.

pro illustrando Grotii loco II. 2, 13.

in publicum emisit

ADRIANUS BEIER, J.U.D.

& Cur. Provinc. Sax. Advocatus

Ordinarius.

J E N Æ,

Sumtibus CHRISTOPH. ENOCH. Buchta/

Anno M. DC. LXXV.

*An et quatenus Transitus pro exercitu per territorium alte-
rius postulari et denegari possit. Vol. VII. 9.*

^{f. f.}
ILLUSTRIA NOMINA
DNI. JOHANNIS
STRAUCHII,

Icti Consummatissimi, Serenissimo
Principi BERNHARDO Saxoniae Duci à Consiliis
sanctioribus, nec non utriusque Consistorii Cancellarii
atque Praefidis Eminentissimi, Antecessoris item Fami-
geratissimi & Facultatis suae Senioris venerandi,
Curiae Provincialis ac Scabinatus Adses-
soris Gravissimi &c. &c.

Nec non

DNI. JOHANNIS
SCHILTERI,

Icti Excellentissimi, & in Aula Sere-
nissimi Ducis BERNHARDI Senatoris Magnifici,
Societatis disquirentium capitis atque Phi-
lologi acutissimi &c.

Tenuibus hisce pagellis venerari, sibi que propitia
reddere submissè conatur.

Eorundem cultor devotus

A. B. D.



Non heri aut nudius tertius ventilari cepit de prætenso per alienum territorium ab integris Populis aut Exercitibus transitu, Quæstio; non Senatoria illa: An expediat concedere vel negare? sed judicialis: Jure ne peti, & injuria negando inferri, hæcque armis vindicari possit? Ex antiquis Autoribus præter historicam eorum, quæ hinc atque inde facta sunt, narrationem, vix quidquam legere licet. Primus quasi Hugo Grotius negotium hoc in formam redegit se videtur, quando tanquam minus feliciter pro Batavis in Tractatu de Mari libero susceptæ actionis Negatoriae pertæsus, in contrarium versus, non Confessoriam modò pro Exercitibus transitoris actionem instituit, verum arbitri quoque partibus sumtis, territoriorum Dominos ad petita concedenda damnavit, *de Jur. Bell. & Pac. Lib. 2. cap. 2. num. 13.* qua in re, sicut evenire solet, quorundam adplausum, quorundam meruit censuram. Strictim tamen utriusque & perfunctoriè, inter annotationes ad illum locum hoc agunt: ex professo autem & prolixius hoc argumentum

prosequitur à disciplina Juris naturalis nobilitatus ille Pufendorffius *tract. de Jur. nat. Gent. Lib. 2. cap. 3. §. 5. pag. 288. seqq.* Utrobique exemplis, non præceptis agi & regulis videas, quas sicubi formare alicubi videntur, tot ac tam variis involvunt cautelis, declarationibus ac reservatis, ut, seriò id quod dixerunt voluisse, neutiquàm constet. Prodiit ante menseni unum atque alterum, Johann. Abrahr Schäferus, qui Hugoni Grotio apertè ac rotundè contradixit, atque vindicias secundum libertatem pro territoriorum Dominis & viis publicis egit, idque methodicè, rationibus ordine expositis, ut existimat, evicit, nullo jure, neque in re neque ad rem, postulatum transitum, sumtaque pro eo arma niti: quare justissima esse quæ contra sumuntur arma. Quum igitur neutrum extremorum ita absolute asseri aut defendi posse, mihi fuerit visum, ab Autore quoque prælaudato, de sua sententia sentire ac scribere, cuius integrum sit relictum, cepi & ego aliquid in hoc genere meditari; atque animadverti, statum utriusque partis quasi judicarium esse, altero actoris altero rei partes sustinente; Litem verò seu rem controversam, esse Jus eundi per alienum, famo-

sæ

ſæ ſervituti itineris non abſimile ; Actionem
ipſam, Confefforiam, aut certè perſecutionem
extraordinariam ; Fundamentum actionis, juſ
ſive in re ſive ad rem, ſive quodlibet aliud in-
tereſſe, pietatem, neceſſitatem &c.; nec deeſſe ta-
men & ex parte Rei deſenſiones : quæ o-
mnia ſcrutari, in ordinem cogere ac proferre,
non adeò ſunt à functione Advocati, quam
ſuſtineo, aliena ; ideò præhenſò calamò an-
niſus ſum negocium integrum certâ methodò,
quæ ſola Doctõribus deeſſe videbatur, include-
re, atq; exempla, quæ nova penè nulla attuli, (nec
deerant enim,) ſed à Doctõribus allata, formatiſ
abs me præceptiſ, ut ratio inde inferendi fieret
apertior, ſubjeci ; atque ut ſpero, bono cum
DEO effeci, ut certum quid affirmari ſine titu-
batione poſſit : Ne verò ulli ſim moleſtus, à
reſponſionibus & contrariorum ſolutionibus
abſtinui, contentus, regulas ſic formatas, ut ob-
jectionibus ſecundùm eas examinatiſ, reſpon-
ſio ex ſe conſtet. Quod utrum rectè præſti-
terim, quos alios eligam arbitros, Niſi Vos,
Illuſtres atque Magnifici Viri, ad quorum au-
toritatem provocare non erubeſcunt, qui
in hoc genere dicendi magiſterium obtinere
noſcuntur ; non dictum igitur eſto, quidquid

displicet Vobis. Sed enim, præcipuè ist-
hac Illustrium Nominum Vestrorum in-
scriptione ago, ut juxtà cum exiguis hisce pa-
gellis, me meaque studia devotè Vobis dedi-
cem, Patrocinium Vestrum mihi exoptatissi-
mum exorem, Vestràque commendatione Sere-
nissimo nostro factâ, promotione perfrui pos-
sim. Ita agite, atque labentem annum auspi-
catò claudite, & imminentem feliciter à tergo
ordinate. Scrib. Jenæ, 7 24. Decembr. 1674.

Illustrium Magniff. VV.

obsequiosus

Cliens

Autor.



*An & quatenus TRANSITUS pro exercitu
per territorium alterius postulari &
denegari possit?*



A est post reliquas creaturarum differen-
tia, quòd aliquæ in illa statim quantitatis
perfectione, quam optimæ maximæ ha-
bere possunt, producuntur, neque ob id
quidquam ulterius ad integritatem atque
conservationem opus habent: Aliæ ex
minimis initiis ortæ, motu lentò ad suam perfectionem
proficiscuntur, cui obtinendæ non multa solùm condu-
centia habent necessum, verùm innumeris obstaculis at-
que adversitatibus sunt obnoxia, quibus superandis præ-
ter laborem & patientiam, haud paucioribus indigent
adminiculis, undecunq̄e conquirendis. Id, quod in
plantis, in brutis, denique in ipsis hominibus videmus.
Non est arbor, quin frutex; Non animal, quod non an-
tè pullus; Non homo denique, quin prius infans fuerit.
Annosa, & castris atque templis sustinendis sufficiens
quercus, ex parva excrevit planta, quam terra nutrit,
coelum irrigavit, natura cortice texit, donec in fruticem
adolesceret, ac tandem in arborem robustam consene-
sceret. Pisces atque aves, quanti quantæve sunt, ova
antè fuerunt, atque inde extenerrimis, partim nudis,
tenuique lanugine tectis animalculis accreverunt; ean-
demque rationem Natura servat in reliquis animalibus
omnibus, sic ut ne homo quidem, reliquorum nobilissi-
mum,

num, sit exemptus. Quàm pusillus enim ubi nascitur, quàm nudus, quàm omnium rerum atque alienæ opis indigus! Ac modò non reliquis animantibus indigentior, utpote quorum aliquàm multis Natura ingenuis succurrit adminiculis, solò temporis tractu supervenientibus. Ovibus sua vestis connascitur, atque successu temporis adeò luxuriat, ut derondenda sit, & quod huic animalculo abundat, aliis communicare possit: Avibus ungues ac rostra indurescunt, juvenis cornua succrescunt; Hòc amplius, inter bruta non erit, cui uni omnia desint; sic, ut si non in defensionem, sanè in fugam membra formaverit Natura; Solius hominis indigentia perpetua atque universalis videtur, in tantum, ut cum tempore illa crescat; Sunt Pueri puri; Parvi, parvisque cibantur: Cùm adoleverint, & veste ampliori, cibòque copiosiori opus habent. Virilis ætas œconomix administrandæ cupida, domò, suppellectile multà opus habet, sed modò non omnibus caret. A parentibus artificiò vitæ sustinendæ idoneò instructus, animi dotibus sat dives est, sed eidem exercendo se parans, in novum incidit vacuum, Materiæ, ex qua species mente conceptas producere satagit. Non omnis fert omnia tellus, undiquaque conquirenda sunt necessaria. Hic iterum animalium discrimen, & bestiarum præ hominibus prærogativa: dum alias salire docuit Natura, ut sciurum; Alias volatu terram superare, ut aves: quin & serpens in gyrum volutus nervos ad saltum intendere novit. Solum hominem terrâ incedere, ponderosum corpus circumferre, ac singulas terræ glebas bifurcatis pedibus emetiri oportet, ut quæ ad conservationem & defensionem necessaria sunt, asportet: Ubi per variorum territoria, per varios casûs, per tot discrimina rerum jactatur, multorum fores frustra pulsare, repul-

pulsis adsuescere, atque animum adversum calamitates obdurare cogitur. Hoc dum accidit, & ipse audacior factus, quandoque cornua sumit, & frustra obloquentibus aliis, animi propositum audet prosequi; perumpit, & manu seu factu viam aperit. Hinc querelæ, rixæ, descenditur ad verbera, inter paucos: confluunt plures, justi evadunt exercitûs; pugnae instituuntur, protrahitur in longum hic status, geritur bellum; proxenetæ pacis in causam, in utriusque jura inquirunt, & sic in illam quoque, quæ de Transitu per alienum est, incidunt quæstionem. Ea, quum non Caji sit ac Sempronii, sed integrarum gentium; nec de glande legenda, sed de libertate territorii, qua de non calamô, sed gladiis certatur; nec tam atramentô charta pingitur, quàm sanguine Provinciæ tinguntur; Non abs re foret, quò tempore nunc inter Supremos Europæ Principes bella geruntur, atque exercitûs per aliena territoria ducendi necessitas & occasio sapius se offeret, paulò penitius in justitiam armorum, quibus transituros arcere satagit unus, negatum contra transitum aperire contendit alter, inquirere, idque ex principiis Juris divini, naturæ & gentium perspiculare, saniores gentes in consilium vocare, & cum Jure Civili Romano conferre. Hoc dum agere instituimus, supremum Numen pro mentis gratiosa illuminatione devotè invocamus, ut quæ vera, quæve justa sunt, sagaciter invenire, debitòque cum pondere proferre valeamus. Insimul verò favorem atque benevolentiam Lectoris, quò cepti laboris majorem percipiamus fructum, tantòque minus nos actorum pœniteat, expectamus atque speramus.

Agit autem quæstio nostra de Transitu, ut vocant, exercituali innoxio, quem contingit gentem à gente vi-

B

ci-

cina petere tunc, ubi cum alia gente, alteri vicina, bellum gerendum habet, neque aliter ad illam patet accessus; ut adeo precibus incassum adhibitis, vel novus hostis accumulandus, & transitus apertam vi quaerendus sit; aut viribus in via invenienda consumtis, una cum bello, juris quoque sui persecutio deponenda veniat. Ubi juxta quaestionem de Justitia belli, principaliter cum gente remota intentati, (a qua tamen tanquam in praesens in pertinenti praescindimus,) & haec, de bello cum gente intermedia, super transitu, tanquam puncto incidenti gerendo, incidit quaestio: Utrius causa sit justior? Ejus, qui transire desiderat, idque suo quodam jure praestari sibi postulat, negatum autem desiderium armata manu & factu ipso persequitur: An ejus, qui territorii sui libertatem usque eodem tuetur, ut se invito neminem, qualicumque etiam de causa volentem, cum exercitu armato transire permittat, audenti autem & vim intentanti vim contrariam obponit? Stantibus ita in procinctu partibus, atque dum manus conferere necessum sit, conflictui se accingentibus si superveneris, eum sine dubio statum habere videbuntur Tibi, qui in Jure Civili privato, atque ubi de libertate & servitute praedii cujusdam lis vertitur, est inter Actorem, jus itineris aut viae per fundum alienum praetendentem, negatum autem confessoriam actionem prosequentem; & Dominum fundi, libertatem ejus mordicus defendentem, inque statu naturali se fundantem. Quare, quemadmodum causa privatorum ad Judices delata hoc exigatur, utrum auctori servitus jam olim constituta negetur hodie, an res exigat, eam etiam non competente, vel in perpetuum noviter constituere, vel unius alteriusve actus exercitium momentaneum atque transitorium permittere? Ita gentium hac causa ad tri-
bu-

bunal rationis vocatâ, inter reliquas gentes, quibus ob
animum affectibus vacuum, confessui huic Senatorio li-
cet interesse, Cardinalis hæc movebitur quæstio: Annon
& in Republ. gentium detur jus quoddam in re, quod vel
integra earum territoria, vel ea certè portio, quâ transiri
solet, velut servitute affecta sint, ad patiendum, externos
& turmatim, & sub forma exercitûs transire: An eo non
competente, jus ad rem & obligatio personalis existat,
quâ gens inter belligeraturas media, necessitate con-
stringatur, fundum suum ad transeundum suppeditare,
si non per modum servitutis ac qualitatis moralis passivæ
perpetuæ, certè ad unum aut alterum actum à necessitate
extra ordinem imperatum; Sic, ut amicabili, atque ut
stylô forensi utamur, extrajudiciali interpellatione fru-
strâ adhibitâ, repulsam ferenti liceat judiciô inter gentes
usitatô, videlicet bellô, tanquam actione confessoriâ jus
suum prosequi?

Cujus affirmativam defensoris, non videntur argu-
menta deesse, quibus gentes, sanâ ratione utentes, tan-
quàm hujus Dicasterii Scabinos in suam pertrahant sen-
tentiam. Nos, ne actum agere, aut aliorum scrinia com-
pilare videamur, in præsens ad Grotii & sequacium ejus,
rationes & exempla non provocabimus, sed plumis or-
nati propriis, pro affirmativæ assertionem solidiori, evi-
dentiorique ordine servando, ponemus certos aphoris-
mos, quorum (1) est. *Via regia sunt generi hu-
mano communes.* Neque enim erraverit, qui glo-
bum terrestrem, quem hominibus habitandum conces-
sit Deus, viis regiis non minus quàm fluminibus, sylvis,
promontoriis & convallibus distingui asserat. Quin imò
magis, inquam ego! Nam sylvæ, montes, convallia,
quàm spatiosa etiam sint, suis terminis circumscribun-
tur,

tur, flumina capitibus & ostiis clauduntur; Solæ viæ regi-
giæ æternæ videntur, dum sine principio & fine totum
terrarum orbem emetiuntur. Ac licet istud cum flumi-
nibus commune videantur habere, quod ad mare decur-
runt, ibique terminum accipiunt, admittente hoc Ulpia-
nô, Sabinianorum Commentariorum librô trigésimô
tertiô: Hoc tamen sibi vendicant præcipuum, quod
ignorant initium. Cùm igitur non sit fluvius, quin ex
fonte initium sumat, atque adeò gens aliqua sit, quæ
ipsum comprehendat; solæ viæ regiæ sunt incompre-
hensibiles atque infinitæ, ut non reperta fuerit gens tam
populosa, quæ regiam viam suis finibus includere, à prin-
cipio ad finem accolere, eamque suæ potestatis facere
potuerit, quin ea semper sua cornua ulterius porrexerit
atque protenderit: Sic, ut regiæ viæ gentium intuitu to-
tæ; Gentes, intuitû viarum regiæ, partes existiman-
dæ sint. Planè, uti in corpore humano & animali venæ
& arteriæ omnia membra perrepunt, distinguunt ac vi-
cissim connectunt, ita ut eas nullum illorum sibi soli inte-
gras vindicare & adscribere possit, eoque modò illæ reli-
quis membris quasi imperant. Ecquis igitur dixerit, ul-
lam Gentem unicam, publicas vias ex solo capite trans-
missionis seu permeationis, dum earum particulam sus-
tinet, iisque hospitium præbet, jure quòdam suo sibi ar-
rogare posse? Non dicam in uniuersum, sed ne eatenus
quidem, quatenus territorium ejus attingunt. Hujus
rei evidens præbet argumentum Habitudo totius ad par-
tes, ac vicissim partium ad totum, in quibus eadem esse
ratio assolet. Quemadmodum igitur in singulis Genti-
um, qui supremâ pollet potestate, non omnes sui territo-
rii glebas inter singulos ita distribuit, quin pro exigentia
necessitatis publicæ, passim aliquot spacia seruet pro iti-
neri-

neribus communibus, quorum etiam solum publicum, est l. 2. §. 21. ff. *Ne quid in loc. publ.* adeò, ut Civium nemo adferere valeat: viam publicam suo incumbere fundo, medium intersecare, atque ab eo sustineri; Sed fateri necessum habeat: Duos se fundos, cis atque ultra viam publicam possidere: Ita non magis negandum, Rationem, totius humani generis Rectricem, Gentibus territoria invicem partientibus, instillasse, spacia quaedam usui & commercio communi servare, quæ unicum restant remotiorum ac distitorum vinculum & connexio; & ea quidem individua. Neque enim gentes integræ, ex eo, quòd ipsamet invicem suis terminis distinguuntur, atque hinc partium rationem subire coguntur, magis illud, ut via quoque regia, plures permeans & connectens populos, partes recipiat, efficere potuerunt; atque singuli ejusdem Gentis concives agris suis viam regiam, illos intersecantem, reddere potuerunt dividuam; Sed potius ab illa distinctionem receperunt, l. f. ff. d. *Serv. leg.* Quare non poterimus unum populum, Janitorem reliquorum, citra eorundem injuriam constituere, atque in ejus arbitrium conferre licentiam alteri occludendi accessum ad se, aut transitum ad alios, quorsum tamen viâ regiâ ducimur. Argumentum in formam redactum taliter se habebit: (1) Quicquid omnes alicujus partes sine mutatione transit; quicquid partibus omnibus necessendis deputatum; propter earum contactum non alteratur, nec solutionem continui patitur, sed uniformiter semper se habet, illud toti universo commune est: (2.) Quicquid est individuum, id operationes quoad partes ut recipiat dividuas, impossibile est: Atqui viâ regiâ sunt individua. E. item: (3.) Nulla pars influere potest in totum, minus autem illud ad se trahere: Atqui

Gentes singulæ in relatione ad vias regias se habent ut pars ad totum. E. Quòd si enim pars in totum influere habilis esset, jam rationem partis amitteret. Neque est, quod excipias: Totas gentes & exercitûs excludi; Atque ita liberum transitum ad singulos ex gentibus restringas. Cum viæ non privatæ ac vicinales, sed publicæ, Prætorix, Regiæ sint, atque dicantur. Jam verò, publica à populis, non singulis populorum nomen habent. Equidem, Regia via justissimè dicitur illa, quam Rex aliquis in regno suo suis usibus ac necessitatibus aptat, & cum exclusione subditorum solus usurpat: Qualem Christianus IV. Rex Daniæ è suo regno versus Holsatiam adornavit, quæ dehinc Regiæ viæ nomen *der Königs Weg* sortita est: Longè aliò sensu viæ regiæ dicuntur illæ spaciosiores, & Regiis comitatibus transmittendis aptæ: quòd videlicet regiis potissimum congressibus, bellicisque expeditionibus inserviant. Quorsum & Prætoriarum appellatio illis accrevit, & Germanus convenientissimum rei nomen impositurus, Exercitiales, *Heerwege* dixit: Privatis nimirum longè angustiores erant suffecturæ.

Secunda assertio est: *Via regia non sunt eorum, quorum territoria percurrunt propria.* Id quod sequenti adstruemus discursu. Viæ sunt ex genere eorum, quæ sunt ad aliud. Ille autem, ad quem referuntur, exteri sunt, non vicini & accolæ, ut qui & transversum commeare, ad viam verò tenendam alligari nequaquam possunt. Patrifamiliàs non est invidendum, sui commodi ergò hâc isthâc in suo fundo deambulare: Nusquam tamen peculiarem deputare semitam, eique perpetuò insistere eum observaveris: Si qua in fundo alicujus conspicitur, signum competentis alteri servitutis

ex-

existimatur. Sic & via regia, Principis alicujus territorium dividens, neutiquam in Principis ac suorum utilitatem usque eò instituta putabitur, ut soli eâ utantur, tanquam principaliter in eorum gratiam factâ, cum exclusione aliorum; Sanè, ad solum hoc spacium minimè alligandi, verùm reliqua loca omnia tangere permittendi; imò Princeps etiam tenetur visitare; at verò, ad illa omnia unica hæc via non ducit, ut quæ rectâ regnum, transcurrit, & ad externos ducit. Equidem Princeps & subditi eâ uti non prohibentur, sed dum utuntur, hoc ut quivis alii agunt, v. g. externos, Regnum hoc peragrantes, isthac deducunt, eaque propter citra anfractûs & arcana lustrandi occasionem suppeditatam, rectâ percurrunt, & maturum exitum commonstrant; cum sui causâ rectam hanc lineam præcisè non sint servaturi. Unde observaveris, patresfamiliarum ac fundorum servientium Dominos, licèt certis de causis, sive ut arbitrium in fundum ostendant, sive etiam, ne toties vertere aratrum, cum temporis dispendio necessum habeant, viam ipsam arando invertere quidem; Ipsos tamen, quibus ea servitus debetur, hõc non attentò jus suum toties reiterare, novâque semitâ, etiam cum contritione sparsi seminis, resuscitare, quoties opus est, non obloquente Patrefamiliâs; quem lineas continuas aratrò duxisse, jam modò diximus, longè aliâ fini; quippe debiti oneris non immemore. Argumentamur, discursum in pauca contracturi, hunc in modum: Quicquid præter intentionem atque usum, in alicujus Patrisfam. fundo reperitur, istud ad eum non pertinet. Atqui viæ Regiæ ab ipso territorii domino nec proficiscuntur, nec eidem inserviunt, sed exteris, qui peragrantes semitam hanc calcando, præter intentionem Domini introduxerunt, perpetuâque reite-

ra-

ratione conservant. E. Demus insuper, Principi viarum per sua regna ducentium, custodiam competere; Istud tamen, quantum ad solam securitatem & concurrens interesse proprium contingit, juxta quod præensam protectionem regulare & conformare debebit, ulterius extendere non poterit: Jam verò, nihil est novi aut absurdi, vicinum in rebus vicini aliquod jus exercere, & inspectionem simultaneam habere; Uti habent à Pratore ex primo decreto propter damnum infectum missi, neque tamen Dominos esse: ut adeò simul stent: Res aliena, & inspectio; Nec confestim dominium inferatur. Argumentamur: Quicquid contingit propter concurrens interesse & salutem propriam, istud non præcisè fit in re propria. Atqui hæc custodia sic contingit: E. Consequentia majoris fundatur in relatione & oppositione, quæ non est, nisi inter diversa, quæ hõc locò sunt proprium & alienum. Quæcunque ab invicem sunt separata, non recipiunt ab invicem operationem: Atqui, cujusque territorium & via transiens sunt separata. E. via operationem à territorio non recipit. Quæ ratio & habitudo est singulorum in Republ. ad Principem & res ejus, Ea in republ. Gentium est habitudo singularum gentium ad universas, & res illis debitas. Atqui ibi viæ publicæ non fiunt pars fundi, E. hîc non fiunt pars territorii. Quicquid pertinet ad totum, partes sibi vindicare non possunt, Atqui viæ regiæ ad totam gentium Remp. pertinet E. singulæ gentes easdem sibi asserere nequeunt. Tertia assertio talis esto: Si *via Regia* vel maxime *sunt pars territorii*, & cum illo in dominio Principis, erunt tamen *cum onere*. Fac enim, Principibus ipsis proprietatem atque dominium viarum (tanquàm sui

ter-

territorii partium,) perinde ut totius regni competere,
quod tamen in veritatis atque sententiæ nostræ præju-
diciū non concesserim: Nihilō tamen minus haud a-
liter id arrogare sibi poterunt, aut reipsā secus tenebunt,
quàm cum oneribus & juribus passivis rem afficienti-
bus, ac perpetuò comitantibus, tam naturalibus quàm
moralibus. Naturam quod attinet, non potest illa sic
constringi, ut uniformiter operetur, multò minus, ut
meræ sint ubertates, fœcunditates atque commoda; sed
sæpius damna & sterilitates inspergit: & hæc quidem
non suâ culpâ, sed ex conditione rerum sublunarium, ubi
nil merum, nil simplex aut purum, sed diversæ composi-
tiones, unde alterationes, mutationes ac varia inde e-
mergentia, quibus natura impeditur, turbatur atque in-
transversum rapitur, ob quæ novas edere formas com-
pellitur; ubi sunt mala mixta bonis, sunt bona mixta ma-
lis: Quare, qui se his rebus immiscet, eum oportet ea-
rum conditioni se conformare, ac dum commoda ca-
ptat, incommoda, si quæ contingunt, æquò animò por-
tare; Nam omnis commoditas sua fert incommoda
secum, cum & versâ vice, neque incommoditas com-
moditate careat: Horum omnium non debet esse igna-
rus is, qui in rebus versatur, *arg. l. 95. de R. J.* adeoque o-
portet accipere sicut est. Hinc non sterilitates modò
fundorum & cessationes messium, sed & si qua animalia
nostra & servi damna, sive nobis intulerunt, sive aliis,
ferre ac sarcire tenemur; in quo fundantur noxales Ju-
ris Civ. actiones. In genere morum, & quantum ad ci-
vilia attinet, nec ibi tanta invenitur paritas, quin fustis
juxta canem, ex proverbio, sit positus. Hinc permittun-
tur equidem privati in rebus publ. fundos habere, tene-
re, sed cum inhærentibus juribus, quibus aut filco pro-

C

pter

pter publicas pensitationes, aut privatis ratione servitutum, pignorisve sunt obnoxii; ut non incongruè liceat argumentari: In quo statu res naturales ac morales à suis conditoribus sunt productæ, in eo debet quisque illas acceptare, qui iis vult uti: Atqui sine oneribus & incommodis nusquàm reperiuntur. E. Quid impedit igitur, inter Reipubl. omnium gentium cives jura hæc subordinata statuere, ut uni dominium, alteri servitus in re eadem competat, atque uterque jus suum viâ judiciariâ persequi possit? Nihil sanè! Quin imò, liceat nobis iteratâ vice esse liberalibus, largituris & hoc: Imploratum in actuali possessione libertatis naturalis adhuc constitutum; Imploranti contrâ, neque conventionem, neque Lege jus transeundi tenus hac constitutum esse, atque inde sine omni fundamento & jure præexistente agere: Ad eòne tamen erit iniquus, si quod Jus constitui sibi postulet? Nobis id neutiquàm videtur!

Unde quarta sit hæc assertio: *Siquâ viâ aut transitu opus habet vicinus, à vicino eum desiderare licet ipsi, nec sine justa causa denegabit alter, sed concedet, si non jure servitutis, tamen lege amicitiae, communis indigentiae, necessitatis, aut si qua similis ratio potest excogitari. Sanè communis utilitas primos ab origine docuit, mutuâ pactione invicem quid indulgere, quod in pari cum modernis nobis constitui libertate, neutiquàm facturi erant, nisi usum id exigere, atq; necessitatem inevitabilem quandoque aliter non admittere animadvertissent; Neque nos igitur eorum posteris, juriumque heredes, magis erimus adversus necessitatem rigidi, quin ritè petentibus demus id, quod cum illorum commodo & sine nostro dispendio fieri potest, Transi-*
tum,

tum innoxium; Et quò magis id præstemus, publicâ au-
toritate juberi posse existimamus: Nam ex his fontibus
atque occasionibus jura omnia, quæ in rebus alienis
competere observamus, ortum trahere opinamur. Tri-
bonianus in tex. 41. Tit. de Urbanorum prædiorum ser-
vitutibus commemorat, Scævola Jcto sequentem ca-
sum fuisse propositum, quò cuidam, Olympio nomi-
ne, habitatio & horreum, quod in ea domo erat, quoad
viveret legata; juxta illam domum autem & hortus &
cœnaculum, legatò non comprehensa fuerant: Ad hor-
tum verò & cœnaculum semper per domum, cujus ha-
bitatio relicta, aditus quondam fuerit. Quæsitum igitur:
An Olympius legatarius aditum præstare deberet?
Respondisse, servitatem quidem non esse; sed heredem
transire per domum ad ea, quæ commemorata sunt,
posse, dum non noceat legatario. En luculentum trans-
itûs innoxii vestigium, quod Scævola ex lumine rectæ
rationis, omni jure servitutis cessante, hausisse oportet.
Quod si E. tali casu permittendum, quid censes respon-
dendum in casu, quò testatrix fundo, quem legaverat,
casas junctas habuit, sed illum his demtis legavit: Ec-
quid heres illum præstiturus, servitatem his casis excipi-
et, reservabitque? Idem Jctus, memor sui, iisdem na-
turalibus principiis & æquitatis præceptis innixus, *librò*
4to ff. hoc statuit: Atque imò etiam in conditionem hu-
manam valdè iniquus foret, vel ipsam naturam incuset
oportet, qui secus faxit. Hæc enim, dum volucres, æ-
theris cives, alatas produxit, insimul effecit, ne, quorsum-
cunque tendunt, pedibus ire necessum habeant, sed suò
quasi privilegiò communivit, ut in altum elatæ alis hâc
isthac ferantur, nullius fundos vel unguâ tangendo.
Hominem contra sarcinam corporis onerosam circum-

ferre, pedibusque tanquam circulo imum emetiri fundum coegit; ut non immerito necessitati atque indigentiae succurrendum, & via per alienum ad nostrum praestanda videatur. Argumentamur majoris evidentiae causam hunc in modum: Quicquid ex instituto atque necessitate naturae quis facere cogitur, in eo non impediendus, neque vitio id ipsi vertendum: Nam naturalia sunt necessaria. Atqui ut in persecutione necessariorum, quae aliunde accersere opus est, fundos aliorum non transfiliamus, sed tangere oporteat & transire, ex instituto naturae & quadam necessitate est; E. promotionem magis quam remoram & impedimentum instituti meremur; Quod ut sic statuamus, non tam autoritate, quam rationibus movemur Ulpiani, qui supra laudati in Sabinum *Commentarii lib. 22.* in simili argumento asserit, si duos fundos habens testator, ad quorum unum non erat nisi per alterum accessus, ipsi tamen ceu Domino citra servitutem, quod veller, ire licebat, quia res sua nemini servit: alterius mihi usufructum, alterum Titio solidum legaverit; Aditum mihi legatarium non debere, sed heredem cogi redimere illam & praestare. Quod, ne quis eò vertat, atque si possessor fundi nihil praestare teneatur, sed transitum petens, ad alium ablegetur; *Marcellus J. Crus lib. 13. ff.* distinctius docet, non aliis quam ejus, cui proprietas fundi legata est, hoc onus esse, qui propterea non aliter concedatur vindicare, nisi prius jus transeundi usufructuario, tanquam hujus reliquorum anteverterit conditionem, praestet; Ita, ut haec forma in agris servetur inter hos legatarios, quae vivo testatore obtinuit. De herede autem saltim dicis gratiam praedicatur, quod redimat; quippe, qui istud per retentionem aut conditionem incerti facit. Quare, sicut ad legatarios

rios.

rios ex hereditate transeunt fundi cum pristina forma:
Ita & ex communione universali integra regna conces-
serunt in singulos populos, cum adhærentibus oneribus,
& inter illa, jure transeundi; Ea enim est ratio totius,
quæ partium. Quæ ipsa fuit superius conclusio & as-
sertio nostra.

Liceat autem nobis, in latisfundia juris privati se-
mel delatis, pace Lectoris faventissimi, paulò ulterius
immorari, atque pluribus ex jure vitæque Civili in hanc
rem petitis uti argumentis & exemplis: ubi manifestò
patebit, quòd licet sua cuique domus tutissimum præ-
beat refugium, sic, ut ab introitu quemvis arcere, ac vim
intentatam, ob securitatem domesticam violatam, manu
factòque liceat vindicare: Nihilò tamen seciùs, exor-
tò incendiò, nisi spontè ac maturè aperiat, ejus restin-
guendi ergò confluentes admissurus, armis eam aperiri
experietur, patieturque id impunè fieri, ex hoc capite,
quòd vicinorum, non suâ solius intersit. Quicquid
incendiò in civitatem exortò unus concivis debet reli-
quis, & quicquid adversus eum immemorem & moro-
sum licet reliquis, istud gens bellò decertaturis media
debet illis, ac vicissim illis in hanc præfractariam licet.
Atqui pro majore commoditate ad ignem restinguen-
dum suppeditanda, ædes accurrentibus patulæ servan-
dæ, transitusque ad locum, ubi opera eorum necessaria,
concedendus, nî inultam vim inferri malint. Idem E-
genti per unius ad alterius fines, suorum juvandorum,
aut sui juris recuperandi ergò tendenti debetur, ac ne-
gatum, impunè vindicare licebit. Licet enim actûs
Præfecti vigilum ejusque ministrorum privatæ autorita-
tis, extrajudiciales ac tumultuarii videantur, ubi nulla
actio, processus aut judicium; sed meram manum & fa-

ita videas; Talia tamen observo, quæ ad officium eorum pertinere voluerit, nec ad suum tribunal revocare Prætor, tanquàm ad jus naturæ pertineant, ac necessitati aut contumaciæ non admittentis imputanda sint, solennem processum non requirant. Neque enim cum onere ipsius, ut servitute jure quòdam perpetuò, id postularunt, sed ob statum præsentem. Pariter & qui periclitanti patriæ succurrens, hostemve persequens, alterius territorium peragrarè necessum habet, non ordinarium ac perpetuum petit transitum ac reditum, sed rebus sic stantibus; unde sicut ibi, servitute utcunq; deficiente, excludi non permittuntur, ubi necessitati cedendum: Ita & inter gentes res ex æquo agenda, nec rigidè ad jus competens docendum urgenda. Simile quid in persecutione domestica rei furtivæ licet observare, ut non admittens scrutatores, furti prohibiti actione teneatur; neque decebat enim fures recipere, occultare, iisdem patrocinari aut participare; & si vel maximè deferre non cogaris *l. 15. ff. d. præscr. verb.* negare tamen quæsitos minimè decet honestum virum, quia suspicionem collusionis & participationis non effugit *t. t. ff. de Receptat.* Ille, qui transitum denegat, non absimilem habet statum ab iis, qui opem, consilium præbent furantibus, furtum autem passo furem prosequenti obsistunt, quo minus illum præhendere, quòve magis ille effugere possit. At verò hi actione furti jure meritò tenentur, §. *ii. I. d. Obl. quæ ex del. nasc.* Quin & ex Stellionatu, vel extra ordinem de Receptatoribus, aut mollissimè ad Exhibendum actione, tanquàm litis primariæ quòdam præludiò, conveniri possunt. Viderit ergò desideratum negans transitum, quâ causâ id faciat, & ne invidiâ suâ suò alterum jure privet: Alioquin & ipsum manebit iudicium gentibus usitatum

tatum scilicet Bellum! Sic & collusio duarum Rerum-
publ. in perniciem tertiæ foveri posset, quâ, stans una post
tergum alterius, securè sub ejus protectione lacefferet ac
læderet tertiam, hanc verò illatas injurias vindicatorum
impediret media; sagittas præparans alteri jacitura,
eamque in suam protectionem recipiens. Quibus igi-
tur meritis certæ Reipubl. civis furibus receptacula præ-
bens judicio furti subjicitur, iisdem & genti suam repe-
tituræ viam occludens, judicio inter gentes usitato, videli-
cet bello evadit obnoxia: Atqui justissimè illud fieri, ne-
mo negabit: non eat Ergò inficias, idem integram gen-
tem promereri, ut quæ non minus juri Gentium, quàm
alter ille juri Civili tenetur obsequi. Et quidni liceat ob
idem interesse viam sibi per alienum aperire territo-
rium? Utiq̃ue enim injuria tali bellò nulla infertur, ei
qui suò, si quod malum est, id accersitum itjumentò, dum
liti alienæ se immiscet & offert. *arg. l. 13. §. 13. l. 45. ff. de
pet. her. l. 25. d. R.V.* eamque ita suam facit. Enim verò po-
tuisset innoxie transituro adsurgere, damna, quæ metuit,
aliâ ratione præcavere, aut si quæ præter intentionem
transeuntis evenerint (uti contingere posse, Liv. lib. 28.
docet, dum postquam narrasset, Milites Romanos in
castris ad Sucronem procacius egisse, & quosdam eorum
noctu prædatum in agrum circa pacatum iisse, adjicit:
omnia libidine ac licentiâ militum, nihil institutò ac di-
sciplinâ militari gestum) æquò animò ferre, ac conditio-
ni humanæ, quæ volitare non potest; vicinitati, ob quam
incommoda quædam sustinenda, condonare; spe futu-
ræ compensationis, aut certè sibi quandoque imputare,
dum transeuntibus vel nulla, aut insufficientis præbetur
annona, vel cara nimis: quam in rem insignis est ejus-
dem scriptoris locus alius, ubi iter Philippi per Denthe-
le-

letarum agròs narratur: Socii erant, sed propter inopi-
am haud secus, quàm hostium fines Macedones populati
sunt, rapiendo enim passim, villas primùm, deinde quos-
dam etiam vicos evastarunt, non sine magno pudore Re-
gis, cùm Sociorum voces nequicquàm Deos sociales, no-
menque suum implorantes audiret. An verò putas, Ci-
vem, cujus aedes in platea ad portam ducente sunt sitæ,
jure prohibitorum, quò minus bubulcus aut subulcus pe-
cora isthac pellant, quòd hircus fœtorem post se relin-
quere soleat? Istæ viæ multò ut plurimùm lutò ac fimò,
quem & pecora pulsa, & jumenta cum vehiculis isthac a-
cta causantur, repleta sunt, ac frequentiori purgatione
famulitium exercent & defatigant; ob alia tamen inde
sperata commoda, nemo facilè habitationem in angu-
portum transfert: Sint ob munditiem ac quietem be-
ati canalicolæ! est tamen, quare & illi nobis invideant.

Dum hæc ita ex Jure Civili Romano edissero, vi-
deor mihi vocem in aurem insusurrantem audire: Hæc
in pertinentia, partim & insufficientia esse. Integram
enim reliquarum gentium universitatem neutiquàm æ-
quò laturam animò, leges ab una illarum omnibus præ-
scribi, exempla pro omnibus desumi ab una. Ea, quæ in
Jure Civ. proponantur, ad certos casûs, homines priva-
tos pertinere, atque ex rationibus particularibus defini-
ta, à reliquis pro norma agendorum recipi nec posse, nec
obtrudi debere. Sunt sanè, qui falsè rident Legistas,
quos dicunt, & Civilistas, superbò despectos superciliò,
miseros scilicet homines, ad unius Reip. LL. ad causas
privatorum, ad agelli unius, paucorum colonorum pa-
trimonium, dijudicationem constitutos! Contrà illi Na-
turalistæ ac Moralistæ ad totarum gentium controversias
sopiendas adsciti, solo rationis ductu, & gentium exem-
plis

plis rem omnem conficere norunt; Quasi gentes integre aliis in universoni fundamentis utantur, atque Romani fuerunt usi, aut singuli aliarum Rerumpubl. utuntur. Esto! multa inter gentes ex pactis antegressis componi, enimverò hoc & privatis usu venit, ut isthuc ante omnia respiciant; sed ubi ea deficiunt, ad jura utique recurrendum: Ubi v. gr. de fundo quodam decertantes, modò ad universalem hereditariæ successionis titulum, modò ad particulares acquirendi dominii modos provocant. Ecquid inter Principes Regesve agitur aliud, quando super integris pugnant provinciis, quàm ut ad instrumenta dotalia, necessitudines cognationum, ad genealogias, ad transactiones & cessiones, aliosve titulos, privatis quotidianos & familiares, recurrant, pro jure armisque suis tutandis ac justificandis: Quòd tam rari sint inter eos processus, causa est, quòd Judicem non agnoscant superiorem, aut quòd vicini, cognati, quorumve interest, bello non implicari, maturè intercedunt, pacis conditiones proponunt, & partes forsan belli saturas, ad transigendum inducunt. Unde valdè appositè Dn. Boëclerus in hunc nostrum Grotii locum *p. m. 70.* dixisse mihi videtur: Non juris eam nunc esse controversiam, sed transactionis. Quare etiam non modo Dn. Ziglerus ad eundem locum *p. 234. f.* non erubescit ad similia juris privati loca de servitutibus, in fundo alieno quæsitis provocare: Verùm etiam ille, quò primò interprete disciplina juris naturalis in cathedram publicam adscendit, Dn. Pufendorf. *l. 3. de Jur. Nat. & Gent. c. 3. §. 5. p. 290 pr.* exempla illa Gentium ex historiis petita, & ad aliquid in hoc argumento probandum adducta, parum ad hanc nostram controversiam definiendam conferre posse, & fatetur & statuit. Ne verò cuiquàm glebæ juris Justinianici, ad in-

D

star

star adscriptitii sic adhærere, ut extra illas progredi non
audeam, aut cœcutire videar, age, comitabor eum ad
spaciosissimos historiæ antiquissimæ campos, unum item
atq; alterum inde libaturus exemplum: Ita tamen, ut non
aliter iis, atque nos in jure privato strepituque forensi,
præjudiciis ac rebus judicatis, utar, quæ jus non faciunt,
nisi inter partes, aut nisi tandem longò usu & observantiâ
in consuetudinem abierint; nihilominus stricti manen-
tia juris, ubi unica circumstantia totum jus variare pot-
est, ita ut nisi in terminis, quos dicunt terminantibus,
impertinenter planè allegentur. Occurrit autem (1) Ca-
sus Pharaonis Nechao, Regis Ægypti, ad impugnandum
Regem Assyriorum prodeuntis. Ad Josiam Regem Ju-
dæ, istud nihil attinebat, nisi quòd medius inter eos erat,
sibi que ab ejusmodi humanis & politicis eventibus, quos
parti inter belligerantes mediæ imminere vel accidere
contingit, metuebat. Nullò igitur aliò successu occur-
rebat ipsi, nisi ut saucius ex acie eductus, hoc erratum
suâ emendaverat vitâ, quod, præter alias mutationes re-
gni, tributum quoque populo impositum sequebatur, uti
hæc videre sunt *2. Reg. XXIII. 29. & 2. Paralip. XXXV. 10.*
seqq. Quàm infeliciter (2) Emorrhæorum Regi Sihon ne-
gatio transitûs cesserit; & quantoperè invidiam illam
in Ogo Rege Basani vindicaverint Israëlitæ, *Num. XXI. 23.*
& Deuter. II. 30. item III. 1. legi potest. Scio, quid hic
Theologi reponant, ad quos Jcti non pauci provocant:
Emorrhæos excidium hoc suò sibi jugò attraxisse, dum
armatis Israëlitis occurrerint, extra fines suæ ditionis,
adeoque ultrò illos lacesiverint; victos igitur, non tam
ob negatum iter, quàm illatum temerè bellum, pœnas
dedisse. vid. *Osiandr. ad Grot. b.* Quæ assertio colorem
accipit ex eo, quòd vero non sit simile, Moysen, virum æ-
quis.

quissimum, solam inhumanitatem, transitus negati, plenaria totius populi extirpatione vindicaturum, & sic defensionis ac vindictæ modum tantoperè supergressurum fuisse. Sed enim, quid aliud Emorrhæus fecit atque fecerat Idumæus: Annon & hic Israëlitis transitum æquissimis petitum conditionibus præfractè negabat, repetitum, verbis factòque pernegabat, atque multâ manu in eorundem occursum pergebat? vid. *Num. XX. à vers. 16. ad 20.* Quid igitur causæ erat, quare minus eos oppugneret Moyses; an civilitas ulla, aut defectus juris defendendi, ex irritatione agnati? Non equidem; sed præcepti divini: quin imò expressa DEI prohibitio, quâ speciâtim à quibusdam gentibus, Idumæis, Moabitibus & Ammonitis abstinere iussi erant. *Deut. II. vers. 5. 9. 19. & 37.* Exceptio igitur firmat regulam in casibus non exceptis, remanentque reliqui Populi sub censu extirpandorum. Nec moveor instantiâ: Terram Amorrhæorum fuisse extra terram promissionis, adeoque & extra præceptum occupandi & extirpandi; venisse autem extirpationem non ex regulari præcepto, sed extra ordinem, ob irritationem. Sanè contrarium hujus invenitur, tum quantum ad possidendi promissionem, *Genes. XV. 16. & 21.* tum quantum ad præceptum extirpandi, exsertis verbis *Deut. II. 24. & 31.* incipe possidere: **So hebe nun an einzunehmen / & committe adversus istos prælium.** Deus intuitu suo nihil agit extra ordinem, quò magis tamen ansam suis præberet præliandi, vincendiq; dubio procul corda adversariorum obduravit & occæcavit, ne pacis conditiones acceptando interitum averterent. Pari enim ratione legitur, Ægyptios obdurasse, *Exod. VII. 3.* ut occasio esset nomen suum glorificandi. Quod autem extra terram promissionis sita dicuntur illa regna, fit intuitu meditullii, ad

cujus extremum erant posita: Jam verò cujusvis rei termini, sunt etiam inter ejusdem partes. Atque inde est, quod antiquæ Ecclesiæ Patres ac Doctores id factum minimè improbaverint: Innoxius enim transitus denegabatur, inquit Augustinus, qui jure humanæ societatis æquissimè patere debebat. Idem *illò locò*: iusta bella gerebantur, inquit, à filiis Israel contra Amorrhæos.

Propositam sic, & ut opinor, evictam rem ipsam, in se quidem, ut videtur, duram, studebimus nunc emollire repertis apud ipsos, qui ut dissentientes laudantur temperamenti & cautelis; quæ variæ proponuntur, è quibus tamen plausibiliores admittemus, reliquis rejectis. *Prima* esto, ut sua, eaque iusta postulandi transitûs sit causa; nec ille solùm prætextus & ansa inferendi bellum jam præmeditatum. Henricus IV. Galliæ Rex versabat animò & opere consilia, quæ toti Europæ novam faciem indutura credebantur: Habebat exercitum numerò & robore formidandum; huic transitum per agrum Luxemburgensem ab Alberto Archiduce, Belgii Principe postulabat, non ut impetraturus, sed causam bello, inquit Forstnerus *ad Tac. XII. Annal. 62. p. 196.* Quod si igitur animadvertas, alium nominari, te peti, jam non super transitu permittendo, sed super ipso territorio quæstio est; non vicini, sed tua res agitur; non aliis protegendis, sed tibi defendendo obligaris. Consilium autem in promptu est, finges & ipse alteri, eum peti, ac societate mutua defensionis initâ junctis viribus efficacius resistere ac retundere alterum poteris. Hinc ex doctrina relatorum, & Negatio transitûs iusta, suisque rationibus innixa esse, non ex metu vano & inani diffidentia, minus autem malitia mera descendere debet, prout suò locò dicetur. *Alterum* nostræ sententiæ temperamentum est, ut transitus si-

gni-

gnificetur ac petatur; Si enim ut amicus venire & transire cupit, nuncium præmittat, veniam transeundi à Domino impetraturus. Aristophanes *avibus*:

Ut nos, cum nobis Delphos sumendum est iter prius Boeotos deprecemur.

ubi Scholiastes: Tunc demum iter poscitur, ubi exercitus traducitur. Quò exemplò apud Liv. XXXIV. c. 62. Masaniassa, quum Aphirem, profugum ex regno suo cum parte Numidarum, vagantem circa Cirenas persequeretur, precariò à Carthaginensibus iter per ipsorum agrum petiit: Atque hoc dum non observassent Græci apud Dytin Cretensem L. 2. rectè Telephus inculcat eos, quòd cum amicos se venire ferrent, nuncium adventus sui non præmiserint: Nec magnoperè dubito, Jacobum eadem de causa Esavo fratri adventum prænucciasse suum; quanquam nec inficias eo, juxta hunc scopum primarium, secundariè atque indirectè mentem fratris explorare unà voluisse. Petendus autem est *maturè*, & quasi præmonendus, ne ex improvviso minus paratum adoriatur, tanquam factum transitionis cum petito simus juncturi. Ita Cæsar Ferdinandus in Comitibus Ratisbonensibus 1643. §. 43. Statibus recipit, quantum fieri per rationem belli possit, Circulorum convocatoribus maturè nunciatum iri transitus. Dandum utique spacium parandi necessaria, & ordinandi futurum processum, ad evitanda multa inconvenientia, si obrueretur. Tantilla igitur mora indulgenda. Quò pertinet & exemplum Cimonis apud Plutarchum *in ejus vita*, quem, cum exercitum per Corinthiorum fines duxisset prius, quam cives adpellasset, Lachartus inculcavit: Etiam qui januam alienam pulset, non prius intrare, quam Dominus jusserit. Petendus deinde est *placide*, non minis: ne, si cum instructo adstans exercitu

citu exposcat, sumsisse magis quàm accepisse videatur. Quid enim tali non liceat, aut quid boni ab eo sperandum, quis contrà hiscere audeat? velle non dicitur, cui nolle non fuit integrum. Quorsum facit exemplum Agesilai ex Asia redeuntis, ac transitum à Macedone postulantis: dum enim ille consultandum sibi sumeret, transitum hic attentabat: Deliberet, inquiens, nos interea transibimus: eoque ipsò responsò audaci Regem perterrit, ut petitis deferret. *Tertium* temperamentum constituimus, ut absque dolo malo petatur, qua proximum & commodissimum est transiri. Quemadmodum in er privatos, cui servitus eundi competit, fundus integer & omnes ejus glebæ sunt obnoxii *l. 13. §. 1. ff. d. S. P. R. Cæpoll. de S. P. U. c. 16. Gl. & Dd. in l. 11. ff. de Serv.* civiliter tamen utendum, ut certum spacium semel pro semper eligatur, & in æternum assignetur, idque sine magno servientis incommodo *l. 9. ff. d. Serv. d. l. 13. §. 1. & l. 21. seq. ff. d. S. P. R.* Sic quoque, cui transitus est necessarius, licet non jure servitutis perpetuæ urgeat, quia tamen hâc unicâ vice adeò posset uti immoderatè, ut plenaria Domini territorialis ruina inde sequeretur, ad honestatis terminos est remittendus, qui humanitatis officium sibi petit exhiberi. Hoc ipsum spondebat Moyses Idumæis *Num. XX. 17. & 19.* Emorrhæis *Deut. II. 27.* Hoc igitur dum facit, rursus ex natura oppositorum, reciproca civilitate alter ipsi respondebit, neque malitiosè ad loca incongrua, quorsum non tendit, eum deducet aut ablegabit. Duplīciter & adversus duos sic peccatur, tum eum, qui sic immeritus circumducitur; tum illos, in quorum territoria rejicitur. Licet autem hi rursus eum vi repellere, aut vexam redimere possint; tamen alii præ aliis hujusmodi transitionibus non debent prægravari, sicuti & publicis

Im.

Imperii legibus apud nos id prohibetur *R. I. 1643. §. 43. f.*
attamen nec is, qui petiit, à primo se divertì patiètur, tum
quia fraudem facilè olfaciet, hoc agi, ut ad infinitos alios
remissus, magis magisque à vero proposito avertatur;
tum quia quem quærit hostis, si non planè eximeretur,
spacium tamen se accingendi acciperet. Sufficit primum
eum compellasse, quem penes proximus est ad hostem.
accessus, conf. *Dn. Pufend. d. l. p. 288. post med.*

Quartum denique requisitum est, ut modus transi-
tionis recipiatur, ac prius super certis convenient trans-
eundi legibus. Sic Agesilaus ille, cùm ex Asia rediens ad
Troadem venisset, interrogavit: Ut amicum, si an ut ho-
stem transire vellent? & Lyfander Bœotios, Rectis si hastis
transire vellent, an inclinatis? Eæ autem modò duriores
sunt, modò benigniores, pro re nata. Prout enim suæ
cuique notæ sunt vires, ita sumit animum, ut vel extor-
queat iniquas, vel æquissimas recuset. Ita suprà lauda-
tus Cimon in Corinthios, quòd iis insalutatis fines eo-
rum transierit, expostulantes, retorquebat: Cleonæo-
rum & Magarensum fores non pulsasse, sed perfregisse
illos, existimantes, omnia patere debere plus valentibus.
Contrà impudentes oppidò videntur, sive Troades sive
Tralles, centum talenta, totidemque mulieres ab Agefi-
lao mercedem transitûs petentes, apud Plutarchum: qua-
re non mirum est, ejusmodi postulata in ludum & fu-
mum, quin sanguinem & cædem exire. Nam & Agefi-
laus indignitate postulati motus, ludens eos, respondit:
Quin E. statim adferunt accepturi ea? Ita processit, si-
gnisque collatis fudit & multos occidit. Nisi ad excusa-
tionem eorum dixerit aliquis: pecuniam ad præsidia
conducenda, mulieres autem obsides eos petiisse: Quod,
sicubi interrogari possent, declaraturi optimè essent ipsi-
met.

met. Exempla, speciesque legum atque pactorum varia passim occurrunt. Notabilia fuerunt pacta de Transitu inter Fridericum Barbarossam & Isaacium Angelum, apud Nicetam *lib. 2. de vita ejusd. Isacii, aliquot locis*. Insignes quoque fuerunt transeundi leges, quas Mutinæ Dux Urbano VIII. Pontifici, transitum per Mutinensem ditionem petenti præscripsit, quas Dn. Forstnerus *ad Tacit. XII. ann. c. 62. p. 195.* retulit, vid. Grot. *not. ad h. n. loc. p. 125. verb. inermes*. Tamen huc redibunt omnes, ut (1.) securus & sine metu suppressionis sit is, quâ transitur. conf. Dn. Strauch. *de Imp. mar. VIII. 2.* (2.) Ut indemnis seruetur à rapinis, concussionibus, incendiis &c. Prior illa clausula ad Principem atq; adeò statum ipsum attinet: Posterior subditos eorumq; bona concernit. *Securitati* prospicitur, si & ipse rogatus præstò quædã habeat, & ab implorante accipiat. Studeat Princeps ante omnia Populum habere obsequentem, militem fidelem & animosum, urbes munitas, præcipuè limitaneas, eumq; in finem ærarium non exhaustum; ita erit adversus vim subitanam extrinsecus imminentem paratus beneq; tutus. Insuper suadent alii, ab implorante tantam pecuniæ vim stipulari, quâ de sufficienti præsidio sibi queat prospicere; sed partim superius allatum Troadum exemplum, partim paulò inferius dicenda ostendunt, quid de hoc consilio statuendum. Aliter suæ cavebit securitati, & efficacius & expeditius, *si non junctò exercitu, sed turmatim* eos transmittat; quale inter pacta Mutiensia suprâ laudata caput fuit. Isthoc petere & consultum est, & non invidiosum. Facit enim occasio fures, & multitudo vires agnoscens suas insolenter agere incipit, etiam si hac fini non accesserit. Imprudens igitur foret, qui tot hospites in suas ædes reciperet, ut ab iisdem inde posset ejici: docente id nos fabulâ de serpente

te

te erinaceum in speluncam suam assumente. Neque de-
sunt exempla urbium, quæ jugum subierunt, dum incau-
tè multos armatos receperunt, præsertim cum pauci sint
Duces, quibus id laudis possit tribui, quod Cn. Pompejo
assignat Cicero *pro Leg. Manil.* Ejus videlicet legiones sic
in Asiam pervenisse, ut non modò manûs tanti exercitûs,
sed ne vestigium quidem pacato cuiquam nocuerit. Por-
rò si hastis non erectis sed demissis incedant; quod Ly-
sander interrogabat; stylo modernò autem: *mit flie-
genden Fahnen/klingenden Spiele/Rugeln im Munde
de/exprimeres.* Indemnitati simul & securitati prospici-
tur, si adjungantur, recipianturque Commissarii, ex
quorum præscripto itinera dirigantur; nec non si & mi-
litum certa manus iis apponatur, observatura vagabun-
dos: Si porrò incedatur viâ regiâ, nec facilè avia quære-
re permittantur, in quam rem *conf. dict. R. Imp. 1643. §. 43.
m.* Si annona sufficiens & præstò sit, & justò transeuntibus
vendatur pretiò, sic etenim rursus ansa multis præcide-
tur inconvenientibus. Si porrò suis vivere sumtibus ve-
lint, quæ pacta Idumæo & Emorrhæo Moyses offerebat,
locis jam notis. Oportet igitur eum, cujus auspiciis bel-
lum geritur, suis militibus stipendia præbere, ne ex ino-
pia excedant, nam paupertas omnes artes edocet. In-
signis est locus *Livii*, ubi iter Philippi per Dentheletarum
agros narrat: Socii erant, sed propter inopiam haud se-
cùs quàm hostium fines, Macedones populati sunt: ra-
piendo enim passim, villas primum, deinde quosdam et-
iam vicos evastarunt, non sine magno pudore Regis,
cùm sociorum voces, nequicquàm Deos Sociales no-
menque suum implorantes audiret. Horum omnium
complementum præstabunt Obsides, quos & ipsos petere
neque insolens neque insolitum. Exemplum habes *Pro-*

E

copii

copii Persicorum 2. In Imperio Germanico transitum postulans de damno refarciendo cavet. Sed de his alius alibi.

Sic circumscripsimus officium transeuntis, & ejusmodi quidem limitibus, quos admisisse nec æquitati nec honestati derogat, ut spes nos foveat, recusatum haud iri, aut si quis fecerit, parum applausus ab aliis meriturum: quare & si acceptet, qui transitu ulterius negari queat, haud video. conf. Felde in *Grot. l. p. 131*. Videamus tamen & ex altera parte, quæ sint partes Imploratorum: atque animadvertemus, & hos pro varietate circumstantiarum diversimodè se gerere: Aut facta tamen erunt, quid consueverint; aut officium, ad quid nim. præter ea, quæ jam suis inspersimus locis, obligentur. Qui viribus sunt inferiores, coguntur omnia, æqua iniqua sustinere, neq; rogantur de transitu, neq; pacta illorum audiuntur, attendunturve. De facto, non jure, quò æquò debent cum potentioribus tractari, ut quibus & ipsis natura suum vult tribui. Quamquam non defint excusationes, quibus in gregariorum quorundam proterviam rejiciuntur excessus: Livius, cum narrasset, Milites Romanos in castris ad Sucronem procacius egisse, & quosdam eorum noctu prædatum in agrum circumpacatum iisse, adjicit; Omnia libidine ac licentiâ militum, nihil institutò ac disciplinâ militari gestum. Nimirum quis dubitet enim! Quare hoc unum ferè pro illis superest; Patientia. Sed & majori prudentiâ quidam consulere sibi, ac quod avertere non potuerunt, dimiserunt, juxta illud: Sine vadere, sicut vadit, quando quidem aliter non vult vadere. Et alius, cum pluviam avertere non posset, inclinatio corpore transivit, ac pluere permisit. Sed hoc per jocum. Notatu dignum est, quod refert Plutarchus *Lysandrò*: Thebani eò tempore, quò Athenæ

àXXX.

à XXX. tyrannis tenebantur, legem sciverunt: Si quis Athenas ferret per Bœotiam in Tyrannos arma, neminem id neque videre neque audire Thebanorum. Verbo: Dissimulandum. Contrà, qui viribus suis confidunt, audentius progredi, atque aliquando ex mera malitia aut invidia, vanò sanè metu & diffidentiâ inani ad arma profiliūt, transitum non negantes modò, sed & transiturum oppugnantes, uti faciebant Idumæi & Emorrhæi; sed enim, periculò plena & bello vicina res est, non expectare arma, sed ostendere; non tueri domum, sed lacessere adventantes: sic etenim & illi ad præhendendum arma provocantur & irritantur, qui alioquin pacatè fuissent transitori. Batavi *apud Tacitum* Bonensibus nunciant: Si nemo obsisteret, innoxium iter fore; sin arma occurrant, ferrò viam inventuros; Græci, qui cum Clearcho erant, Domum ibimus, inquiebant, si nemo molestus sit: Si quis injuriam faciat, cum Deorum ope arcere conabimur. Idem Græci Josephum bellò petière, quòd eos per fines suos transire passus non esset: uti notat Scholiastes *ad Horatii Carmen in Canidiam*. Imò penè dixerim & excidio proximam rem esse; uti post Emorrhæos, plures tristi suò docuerunt exemplò. Sic Amyntorem Orchomeni Regem ob negatum transitum Hercules interfecit; *notante id Apollodorò*. Igitur ad hæc extrema & violenta, ut descendat, remedia, nemini suasor existerem, nisi de victoria valdè sit securus. Alii mitiora, sed pariter incerta suggerunt consilia: Jubeas videlicet transiturum arma ponere. Exemplum *in excerpto Legationum XII. apud Bembum VII. historie Italice*. Equidem, qui Italianam peragrarunt, referre norunt, quemadmodum per civitates ituros sub ingressum oporteat gladios custodibus committere, circa egressum in altera porta eosdem re-

cepturos. Hoc singulos præstare compuleris; utrum
idem ab integro exercitu tutò postulare, à viris militari-
bus expectare liceat, eventum judicare permitto, quippè
arma ut ponant abs se postulari, ita accipiunt quasi ma-
nùs abscinderentur. Quod de Numantinis *Florus* dicit
L. III. c. 18. Longè incertius, sanè prolixius est, quod sua-
dent alii, impensas à transituro peti, quibus sufficiens præ-
sidium tibi conducere valeas. Quanquàm autem gerere
bellum, & esse avarum, credantur incompatibilia, ut spes
sit, numeraturum aliquid illum alterum; ut tamen eam
expectandi patientiam, donec militem conscripseris, ab
ipso præstoleris, non jusserim. Neq; enim adversus se ipsū
te armabit; sed perinde reputabit, ac si studiò tergiversari,
tempusq; lucrari velis, quò & repositam in bellum consu-
mat pecuniã, miles deferbeat ac diffluere incipiat; multa
tibi occasionem tunc suppeditaturam. Oportebit igitur
valdè gravedine ipsum laborare, aut maturè, quorsum tē-
das, olfacere; ubi nullo datò deliberandi cum Macedone
spaciò, cum Agesilao transibit. Atque si rectè conjeci,
centum illa talenta Troades in hunc usum ab illo petiē-
re; sed eos adversum se armare, & ad negandum transi-
tum instruere noluit. Student igitur alii, hoc onus trans-
mittendi in alios derivare, ad quos petentem remittunt.
Quod, quanquàm *sæpe laudatò R. J. 1643. §. 43.* improbe-
tur; insuper & his ipsis idem liceat: Tamen & hoc nequa-
quàm inultum sinet ille, quando se ita circumduci videt;
nisi omnem sensum deposuit. Nam, qui belligerendi
gratiã exsurrexit, sicubi ad hostem desideratum pertinge-
re impeditur, eliget alium, & eum, à quo minus incom-
modi, plus emolumenti sperare potest. Æquè intutum
est, cum aliis instituere examen causarum belli justifica-
rum, ac sub distinctione belli justì atque injusti transitum
con-

concedere aut negare: Odiâ utriusque partis ex invidio-
sa hac provincia sunt metuenda, neque moram feret can-
didatus itineris adeò prolixam, quantam tamen hoc ne-
gotium desiderat. Denique civilitate omni atqve pru-
dentiâ sepositâ, alii non dubitant transeuntes laceffere:
quod, quibus cum periculis conjunctum sit, jam supra
diximus.

Quid igitur, inquis, agendum? Hoc ipsum respon-
deo, quod superius evici, Conditiones honestæ ac possi-
biles proponendæ, iisdemque acceptatis transitus per-
mittendus. Sed quomodo extricabimus nos, quando al-
ter alteri in occursum veniat, in nostro territorio con-
currant, & sedem belli figant? Est, qui ob hoc tutissimum
existimet, priori statim transitum negasse. Sed cum & il-
lud sua jam enumerata habeat incommoda, vicissim
temperat: Si citra magnum nostrum incommodum fie-
ri possit. Res tamen hisce casibus ut plurimum eò venit,
ut incommodum aliquod sit sustinendum, juxta illud: A-
liquid mali propter vicinum malum: Sicubi enim transi-
tum concedas, offenditur is, ad quem tenditur; sin dene-
ges, repulsam ægrè feret alter. Præstat tamen, meò qui-
dem judiciò, concedere, quàm negare. Negatio enim,
nisi valdè temetuit ille, bellum secum fert certum; Con-
cessio, nudam forsitan querelam; cui vel necessitate, vel a-
liò prætextu te poteris excusare. Sin ullum tamen, non
alium habet malum, quàm: duos in agro tuo concurrere
hostes: nam concessio uni transitu, negari nequit & alte-
ri: Concedatur igitur, sed iisdem pactis. Sine igitur arma
eos invicem miscere! ad te non attinet, nisi ab insidiis u-
triusque caveas: quò minus tamen alteruter actum hosti-
lem adversus te attentet, metu illò continebitur in offi-
cio, ne arma tua jungas alterius; atq; sic incommoda de-

clinabis multa, lucrum verò ab utroq; ad te redundabit :
Nam, & durante bellò, commercia securus exercebis lo-
lus, & ubi pax ineunda, mediatorem atque arbitrum te
admittent. Sagaces Veneti, & Germanis & Gallis de Ma-
rano certantibus iter præbuere. *Paruta XI.* Idem Germa-
nis conquerentibus de transitu hostibus dato, ostendunt:
Id nisi armis impediri non potuisse, quibus uti non mos
sibi sit, nisi in hostes manifestos, *cod. lib.* Sic & Pontifex se
excusavit *Lib. ejusd. XII.* Et lanè, cur alteri post tergum
meum sedenti gratiam hanc fecero, ut bellum, ipsi depu-
tatum, suscipiam ego; festucam pedibus ipsius extractam,
inseram meis? Magna ejus in me oportet esse merita, ma-
gnam contrà transeuntis adversum me injuriam, si illum
sic liberavero. Galli id abs se impetrare non poterant, ut
Romanorum gratiâ bellum Carthaginiensium in se deri-
varent: quippè quibus stolidi impudensque illorum vi-
debatur postulatio: Censere ne in Italiam transmittant
Galli bellum: ipsos id avertere in se, agrosque suos pro
alienis populandos objicere: Cùm neq; Romanorum in
se meritum sit, neque Carthaginiensium injuria, ob quæ
aut pro Romanis aut adversus Pœnos sumant arma. *LIV.*
Lib. XXI. c. 20.

Ne verò permissionem hanc meram constituamus
Passionem aut necessitatem inevitabilem, admittimus
unum & alterum casum, quò transitus justè negari, atque
irrupturo justissima opponi arma possint: Præter illa ni-
mirum, quæ suprâ posuimus temperamenta & cautelas,
si petens non faciat satis, erit nova hæc: (1) Si de cætero
malò adversus nos fiet animò. Licèt enim hodiè non ve-
niat directò bellum nobis illaturus, constat tamen, quàm
pronus sit hominum in occasiones animus, facit illa fu-
res ex his, qui furatum non venterunt. Posset obiter & in

trans-

transitu, dum aliud agebat, animadversâ nobis nocendi occasione uti, dum adversus vim imparatos animadverterit. Quâ ipsa de causa Cæsar Helvetiis per provinciam Romanam transitum denegabat; quòd nimirum memoriâ tenebat, L. Cassium Consulem occisum, exercitumque ejus ab iisdem pulsum & sub jugum missum: neque homines inimicò animò, datâ facultate per provinciam itineris faciundi, temperaturos ab injuria & maleficio, existimabat. *L. 1. de Bell. Gall.* Quare, si vel tandem cum illo bellum sit habendum, ubi meditullium regni occupaverit, satius est, à finibus arcere; Durius ejicitur quàm non admittitur hostis. (2) Altera exceptio est, si hostes nostros in consortio ac sodalitia suo habeat, secumque traducere conetur. Nam si quod ius sibi deberi putet, utatur ipse, non communicet aliis, *arg. §. 19. I. de inut. stip.* non illis præcipuè, quibus negaturari eramus si peterent ipsi; Ne per indirectum & ingratis nostris accipiant, quod directò non poterant invitis nobis extorquere. Si, qui merces vectigalibus obnoxias, immunibus miscuerit, privabitur urrisque tanquàm reddituum Fiscalium expilator; quem in finem curiosa mercium instituitur perquisitio in stationibus Publicanorum: quid putas, opus esse, ubi non merces innocuæ, sed hostes inducuntur? latet anguis in herba! Hic ipse prætextus erat & objectio Francorum, qui in Venetia erant, contra Narsetem, Longobardos secum ducentem *Gothicorum IV.* (3) Tertia negandi causa erit, si necessitudo quædam cum eo, ad quem itur, intercedat mihi, ut interesse commune sit protegendum; ne, dum pugnamus singuli, vincamur universi: erat illud Polyphemi propositum, ut ex comitatu Ulyssis, unò post alterum devocatò coenam in ipso Domino clauderet. (4) Huic affinis est quarta illa, si

pa-

paçtò mutuam receperint defensionem: quemadmodum
fœderibus speciatiim hoc exprimi solet, ne alter alterius
ad se transmittat hostes: quale illud Romanorum cum
Antiocho fuit apud Liv. XXIX. c. 38. (5.) Sic & quintò, si
crebris itionibus, reditionibusque molestus esse incipi-
at, neque sic tamen repetere desinat: Postquàm enim ille
ignorat eundi finem, inveniamus nos negandi exordium:
Nam & si cui servitus v. g. per meum eundi competat, in-
cipiat autem periculose uti, cum faculis & flammis; non
ipsa quidem servitute prohibebo, sed jure sic eundi, uti
ait Dn. Zigler. *ad h. n. Grotii loc.* & cum eo Dn. Pufendorf.
p. 289. Nimirum servitute non abutendum: Unde si cui
servitus pascendi competit, neque aliud animalium ge-
nus, v. gr. Oves aut sues locò jumentorum, neque ejus-
dem generis ampliozem quàm convenerit numerum ad-
igere debebit.

Et summatim, tota hæc disputatio multum lucis su-
mit ex facti speciebus in concreto positis, quando de-
scendimus in hypothesi ad Principatum confinium sta-
tum præsentem, motûs animorum, pacta conventa, mu-
tuum interesse & necessitudinem, confœderationes, si-
tuationem, habitudinem, res retroactas & similia, ex
quibus conjectura queat fieri in futurum; Atq; sic confi-
lium capi, & remedium applicari commodius poterit,
quàm ubi in thesi & abstracto disseritur, & casûs fortè
nunquàm extituri finguntur, atque ubi prolixè in utram-
que partem allata sunt multa, conclusio fit nulla, in-
certa, aut relinquuntur animi in
suspensio.



mum, sit
 quam nud
 digus! Ad
 utpote qu
 rit admin
 Ovibus su
 adeò luxu
 lo abunda
 ac rostra i
 amplius, i
 si non in
 rit Natura
 universalis
 scat; Sun
 adoleverit
 habent.
 da, domò,
 omnibus c
 idoneò inf
 exercendo
 ex qua spe
 omnis fer
 necessaria.
 rum præ h
 cuit Natura
 ut aves: q
 tum intenc
 ponderosu
 bas bifurca
 vationem &
 per varioru
 mina rerum

bi nascitur,
 enæ opis in
 ndigentior,
 quis succur
 rientibus.
 tu temporis
 animalcu
 bus unguis
 scunt; Hòc
 esint; sic, ut
 ra formave
 etua atque
 re illa cre
 ntur: Cùm
 osiori opus
 andæ cupi
 modò non
 sustinendæ
 sed eidem
 n, Materiae,
 tagit. Non
 irenda sunt
 n, & bestia
 falire do
 superare,
 vos ad sal
 à incedere,
 terræ gle
 ad confer
 ortet: Ubi
 tot disci
 ulfare, re
 pul-

